

S. D. Intelleximus ex D. Vettero nostro, Vir Reverende & Clarissime, quanto favore & benevolentia filios & Alumnos nostros apud vos degentes prosequutus sis hactenus, Teq; inter illos fuisse, qui ne liberalitatis ille fons nostris illis exaresceret, pro pietate sua operam dederunt. quod quia tam prompte, & ultro, a R. D. T. praestitum est, eo magis nos R. T. debere agnoscimus. Rependat vero tibi pietatem tuam, Vir Humanissime, Christus, unicus ille bonorum omnium ex charitate operum, Remunerator, cuius nomine hoc tale Eleemosyna genus ab Ecclesiis Vestris expetivimus & obtinuimus hactenus. Sed & in posterum (et quidem eo magis quo evidentior divina benignitate affulget liberationis nostrae, Ecclesiarumq; nostrarum restitutionis spes) ne nobis nostrisq;, si absq; incommodo Vestro fieri potest, negetur hoc beneficium, obnixissime rogamus. Commendamus vero & dilectum nostrum D. Veterum pietati R. T. ut si quid is nomine nostro expetiturus sit, ei fidem adhibeas, consilioq; & auxilio pro auctoritate qua merito pollere R. D. T. animadvertimus, adjuves: quo beneficio magis nos Tibi obstrictos reddes, nosq; precibus nostris Deum, ut benedictione sua Tuam in nos beneficentiam abunde pensare velit, sollicitare non intermittemus. Vale Vir Clarissime & in Christo Venerande Frater. Dabamus Lesnae  
Polonorum  $\frac{1}{11}$  Octob. 1631.

R. D. T.  
in Vno Altissimi




Johannes Gyillus de Senior D.  
Matthias Procopius  
Johannes Hermon.  
Joh. Amas Comenius  
Wenceslaus Lochar.

Profugi & dicitur

Reverendo et clarissimo viro D<sup>no</sup>  
Andrea Rivetto sacros: Theolo-  
gia Doctori, et quidem in Acade-  
mia Leydensi Professori: amico et  
fratri in Domino clarissimo,

Manuscript notes at the top of the page, including the name "Johannes Hermon" and other illegible text.



22